



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 36. Gothi in Arianam Hæresin labuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Sæculum IV.  
A. C. 376.

§. XXXVI.

*Gothi in Arianam Hæresin labuntur.*

*Sup. l. XVI.*

*§. 42. Marc.*

*Ann. 3. 4.*

*XXXI.*

*Sozom. VI.*

*6. 37.*

*Theod. IV.*

*c. ult.*

**G**othi Christianos inter se exortos persecuti, impietatis pœnas Hunnis decurrunt, qui, superata palude Mæotica, eos aggressi, profligarunt. Pars Gothorum, qui Thervingii dicebantur, missis ad Imperatorem Valentem Legatis, licentiam petebant Danubium trajiciendi, & Sedes ponendi in Thracia, oblata conditione, se Romanis exercitibus militaturos. Legationis Princeps Ulfila Episcopus erat, vir maxima inter Gothos auctoritate, qui magno labore, tandem mitigata gentis ferocia, Christianam Religionem edocuerat, & ab iis, qui in Idololatria remanserant, multa tulerat. Cum hujus Legationis occasione Constantinopolim venisset, Arianorum præcipuis collocatus est, & dubium, an eorum potentia si adularetur, speraverit feliciorum Legationis exitum, an re vera eos verior docere crediderit, Arianam hæresin suscepit, Gothisque Auctor fuit, ut sequerentur; ita factum, ut deinde funestus lues in totum Occidentem diffunderetur. Hucusque Doctrinam Catholicam, quam initio acceperant, servaverant, & ne tunc quidem eam ex toto dimiserunt, nam ipsorum seductores coram ipsis comminiscabantur, Catholicorum, & Arianorum



rianorum contentiones litem verborum Sæculum IV.  
A. C. 376.  
esse, quæ substantiam Doctrinæ non mu-  
taret. Hinc tempore Theodoretî dice-  
bant quidem Gothi, Patrem majorem  
esse Filio, sed necdum, Filium esse Crea-  
turam, quamvis cum illis, qui creaturam  
affirmabant, communicarent. Idem Ul-  
fla Gothis litterarum usum tradidit, si-  
gnis juxta Alphabetum Græcum forma-  
tis. Is in Gothorum linguam S. Scri-  
pturam vertit, cujus versionis hodieque  
Evangelia typis impressa habemus, ex  
quibus cognoscitur, qualis tunc tempo-  
ris populorum Germanorum lingua fue-  
rit. Ajunt, Ulfilam Regum Libros no-  
luisse in linguam Gothicam transferre,  
quod in iis frequentissima narrentur bel-  
la, ne S. Scripturæ auctoritate Gothi ni-  
miam, & quasi innatam ad arma, & bel-  
la propensionem excusare vellent. Inter  
Gothos etiam Audiani permixti erant;  
nam cum eorum caput in Scythiam fuis-  
set relegatum, conversioni Barbarorum  
operam impendit, atque in ista natione  
remotissima Monasteria instituit, in qui-  
bus morum puritas erat laudabilissima;  
malum! quod contumaciter schismati  
adhærerent. Eorum plerique unacum  
Catholicis in persecutione anni 372. a  
Gothis in exilium pulsi.

*Socr. IV. c.  
33. Valafr.  
de Divin.  
offi. c. 7.*

*Phil. II. c. 5.*

*Epiph. hæc.  
70. n. 14. 15.  
Sup. l. X.  
p. 44.*